

*denuo posset in novam vitam lavacro aque salutaris animatus, ut ipse in epistola ad Donatum y) ingenue fatetur, in qua etiam divinam, quam expertus est gratiam paulo post de-
prædicat, cum ait: sed postquam undæ genitalis auxilio su-
perioris ævi labe deteresa in expiatum pectus ac purum desuper
se lumen infudit, postquam cœlitus spiritu hausto in novum me
hominem natiuitas secunda reparavit, mirum in modum pro-
tinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa &c.
Qua confessione Cyprianus dubio procul ad illam ex aqua
& spiritu natiuitatem alludit, quam Christus Nicodemò
commendavit, ut alia Cypriani loca, in quibus Christi verba
de baptismo clare & aperte explicat, taceamus. Ubi tamen
obiter notamus, nonnunquam: Cyprianum exemplo Ma-
gistri sui Tertulliani in sententia Christi aquam & spiritum
male a se invicem divellere, & sola aqua baptismo relicta Spi-
ritum S. unioni & impositioni manuum tribuere. z)*

y) epist. 1. seu juxta Oxoniensem edit. tract. 1. z) epist. 72. 73.

§. XXII.

Longum nimis foret, omnes alios Patres sive Latinos sive Græcos enumerare, qui verba Christi de baptismo exponenda esse minime dubitarunt. Quamobrem ad Abucaram redimus, qui per natiuitatem ex aqua & spiritu omnibus in regnum Dei introgressuris necessariam baptismum intelligi rectissime statuit, sed in eo hallucinatus est, quod hoc novi testamenti sacramentum illis, qui ante baptismi institutionem e vivis excefferunt, necessarium putavit, cum tamen etiam post baptismi institutionem non omnes, qui baptismo caruerunt, cœlesti regno excludere liceat.

§. XXIII.

Verba enim Christi ad Nicodemum dicentis: *nisi quis ex aqua & Spiritu renatus fuerit, regnum Dei intrare non potest,* rectissime quidem adversus illos usurpari possunt, qui baptismi necessitatem vel plane tollunt, vel justo laxiorem faciunt,